



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Amor Deiparæ Virginis Mariæ; Petri Antonii Spinelli  
Neapol. Societ. Iesv**

**Spinelli, Pietro Antonio  
Colonizæ Agrippinæ, 1620**

Religiosorum familiæ Deiparæ protectione gloriantur, num. 13.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60948](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60948)

Eorum quoq; , qui à B. Virgine à Mer-  
cede nomen acceperunt, qui ante tre-  
centos annos in Hispania primum ordi-  
nem inchoarunt, postea in alias Prouin-  
cias penetrarunt.

*B. Virgo à  
Mercede.*

Ne non eorum, qui Religionem in  
honorem immaculatę Conceptionis in-  
stituerunt, quorum regulam probarunt  
Alexand. VI. Iulius II. Leo X. eis priui-  
legia concedendo, vt videre est in om-  
pendi Minorum, verbo Cõmunicatio.  
§. 18. & verbo Conceptio §. 10. & 12.

*Religio in  
honorem  
Conceptio-  
nis immu-  
lata.  
Ordo Moz-  
tis Olineti.*

Inter hos cõnumerantur & Oliuetani,  
qui in Virginis puissimę honorę albo,  
atq; candenti habitu vruntur: cum enim  
à Ioanne XXII. ad Episcopũ Aretinum  
essent remissi; ab eo circa annũ Domini  
1319. iussu Virginis beatissimę, quę Epi-  
scopo apparuerat, albã vestẽ cũ Regula  
S. Benedicti sub B. Marię protectione  
acceperunt, quemadmodũ refert Paulus

*Paulus  
Morigia  
Religioso-  
rum fami-  
lia. Deipa-  
ra prote-  
ctione glo-  
riantur.*

Morigia de origine Religionum cap. 37.  
13. Quin etiam alię religiosorũ familię,  
quamuis alio nomine nuncupentur; pa-  
ri tamen animi sensu se eiusdem Dei pare-  
famulos profitentur, se que sub eiusdem  
patrocinio peculiariter degere gaudent,  
quẽadmodũ de *Carthusianis*, de *Cister-*  
*ciensibus*, de *Ord. Prædicatorum*, qui præ-  
ter alia, habitum etiam, quo vtuntur à

B 3 Virgine

Apud Sa- Virgine accepisse gloriantur ex lib. 2. vi-  
rium to. 4. tæ S. Dominici cap. 12. de ordine *Mino-*  
*Cōfrater-* rum. & de nostra *Societate* diximus cap.  
*nitates,* ac 20. & dicemus capite sequenti.

*Sodalita-* Omitto dicere hic de varijs *Confra-*  
*res sub ap-* ternitatibus, ac *Sodalitatibus* seculariū  
*pellatione* in Ecclesia institutis, præsertim illa *Ro-*  
*B. Virgin.* *sarj* toto Orbe diffusa, & ijs *Congrega-*  
tionibus, quæ in domicilijs *Societatis* no-  
stræ habentur, quæ Virginis nomine, &  
patrocinio gloriantur.

Sed quid dico de religiosis & Sodali-  
bus, alijsque fidelibus, qui præclare se-  
cum agi existimant, si aliqua ratione  
Deiparæ studiosos se profiteantur, cum  
ipse Deus eam ira cohonestare dignatus  
sit, ut ab ea denominari, & per eam, in-  
ter puras creaturas omnium longè præ-  
stantissimam, veluti quadam periphrasi  
aliquando nobis innotescere voluerit,  
*quemadmodum* toto cap. 15. *uberius proba-*  
*uimus.*

*Cæsarius.*  
*Deuotos*  
*istos Dei-*  
*para qui*  
*bus typis*  
*figuraret.*

Addam & illud, quod refert Cæsarius  
lib. 7. *exempl. cap. 38.* de Bertramo Ordini  
Cisterciensis in Longobardia: is ali-  
quando in oratione beatam Dei genitri-  
cem conspexit, è regione cuius fons au-  
rei coloris erumpens, versus eius pedes  
fluebat, lapilli eius fontis lapides erant  
pretiosi, smaragdi videlicet, carbunculi,  
topazij,

topazij, sapphiri, hyacinthi, huius por-  
 ro interpretationem à B. Virgine acce-  
 pit, fontem enim illum aurei coloris or-  
 dinem dixit esse Cisterciensem, qui ve-  
 lut aurum dignitatem, & sanctitate præ-  
 cellebat, & speciali quadam præroga-  
 tiua dilectionis non cessabat fluere ad  
 eam, lapillos ve. ò pretiosos esse speciales  
 suos amicos in ordine, & in suo obse-  
 quio cæteris feruentiores. hæc ibi. Ex  
 quo decus, ac pretium deuotorum B.  
 Virg. facile cognosci potest, cum auro,  
 & lapidibus pretiosis comparentur.

14 In cœlesti quoq; patria eos, qui in *Virginis*  
 præsentivita Deiparæ peculiari ratione *deuoti spe-*  
 seruis, atque deuoti existunt, singulari *ciali orna-*  
 etiam fauore hoc nomine donandos do- *tu in cœlo*  
 cet, & pulchra similitudine explicat Pel- *fulgent.*  
 bartus de Temesuar in Stellario Virg. *Pelbartus.*  
 lib. 12. part. 1. artic. 3. Sicuti, inquit, ser- *Prou. vlt.*  
 ui Regis, & Regina in Curia Regia certis  
 notabilibus clenodijs deaurati procedunt, per  
 qua agnosuntur esse serui Regis, vel Regina,  
 & speciali purpura vestiti ambulant: ita  
 in Curia cœlesti serui Virginis speciali orna-  
 tu, & gloria, qua præ alijs decernuntur,  
 quod serui sunt Maria, fulgebunt iuxta il-  
 lud Prouerb. Vltim. Omnes domestici  
 eius vestiti sunt duplicibus.

ita Pelbartus.

## PIETAS ERGA VIRGINEM

omnibus utilissima.

15 Quid ve d' spectat ad utilitatē eximiam, quā hominū animis pietas in Virginem affert, ex ijs, *qua supra diximus, & infra dicemus* liquidō apparet. Illud tantū de arca Dei ex 2. Reg. 6. in p'æfenti cōmemorabo: quemadmodum enim propter Arcam illā in d' mū Obededon illatam trium mensū spatio, Dominus eum, omnemq; domum eius sic benedixit, ut David, qui ex reuerentia t' muerat eam ad se diuertere, hoc exemplo excitatus cum gaudio in ciuitatē suam solemnī pompa eam adduxerit: ita felix animā, in quā erga Deiparā, per Dei Arcam, *ut capit. 5. dixi*, adumbratam, pietas, atque deuotio ingreditur; quoniam bonorū omnium vbertate cælitus affluet, iuxta illud, quod ei accommodatur, & in festo Præsentationis legitur Prou. 8. *In vijs iustitiæ ambulat, & in medio semitarum iudicij, ut dicem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Et quoniam tot Sanctos legimus virginis ope, atque præsidio ad magnū pfectiōnis culmen peruenisse, *quorum aliquos cap. sequenti referemus*, ne nos pigeat in animam nostram ad eius benedictionē, cœlestiumq;

2. Reg. 6.

Prouerb. 8.

cœlestiumq; gratiarum copiam perci-  
piendam omni pietatis sensu hanc deu-  
tionem introducere: De utilitate exem-  
pla miranda leges in fine huius capitis.

PIETAS ERGA VIRGINEM  
dulcis.

16 DE suauitate, & dulcedine,  
quam in pietate erga Virginem  
abundè omnes experiuntur, locupletissi-  
mi testes sunt ij, qui in hac pietate stre-  
nuè se exercent: quare meritò illud ei  
congruit, quod ab vniuerso populo est  
acclamatũ Iudith, quæ figuram Deiparæ *Iudith. 25.*  
gererat: *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia*  
*Israel:* non solum enim decus, atque or-  
namentũ humano generi attulit, sed læ-  
ritiam etiam, atque iucunditatem.

Quare in Litanjs B. Virginis, quæ Lau-  
reti decantant: *Causa nostra lætitia dicitur.*

Ambrosius in Psal. 21. in fin. *Quin po-* *Maria est*  
*tius, inquit, ipsam Mariam Manna dixit Manna*  
*rim quia est subtilis, & splendida, suavis, & Exod 16.*  
*Virgo: qua velut cœlus veniens cunctis Isa. 6.*  
*ecclesi rum populis cibum dulciorem melle*  
*defluxit, quem qui edere, aut manducare*  
*neglexerit, vitã in semetipso habere nõ pote-*  
*rit, sicut ipse Dominus ait, nisi quis mandu-*  
*cauerit carnẽ meam, &c. ita Ambrosius.*

Bernardus verò apud Bonauenturam *Bernard.*

B 5 in spec.

- in Spec. c. 8. (cuius sententiã mox referemus,) de eiusdẽ B. Virginis dulcedine abundẽ testatur, ac prædicat. Illud verò sedulo cauendũ, ne Deiparæ dulcedine degustata, eam reijciamus; huc enim spectat illud ex reuel. S. Brigittæ lib. 1. c. 58. cùm enim Deipara Christo dixisset: *Rogo te fili mi: ut, quia tu fuisti mihi dulcissimus, alij participes fiant mea dulcedinis:* respondisse scribitur Christus in hunc modũ: *Benedicta sis tu charissima mater: verba tua sunt dulcia, & charitate plena: idẽo quicumq; de dulcedine tua in os suum receperit, & perfectẽ tenuerit, proficiet ei: qui autẽ receperit, & reiecerit, tanto maius suppliciũ habebit.* Hæc ibi. Ad hæc Cant. 4. de Deipara dicitur: *Fauus distillans labia tua sponsa: mel, & lac sub lingua tua.*
- Pet. Dam.** Eiq; accõmodatur à Petro Damiano
- Eccl. 24.** sermone de Annũciatione illud Eccl. 24. *Spiritus enim meus dulcis, & hereditas mea super mel, & fauum:* Hac est, inquit Damianus loco citato, *qua vestris affectibus suauiter indulescit, in qua dulcis Dominus cum omni sua dulcedine superuenit.* sic Damianus. Ipsa enim, vt dicebat Augusti.
- Augustin.** sermone 100. de tempore, *est terra promissionis, cum tories per Prophetas promissa fuerit: de qua terra duo illi pendentẽ uiam detulerũt in ligno suspensam: uia enim illa*
- Christum*

*Christū Deum figuravit. hæc Augustinus.*

Terra verò promissionis diuino testi-  
monio Exod. 3. & alibi sæpe in sacris lit-  
teris lacte, & melle manare dicitur, id quod

manantē ex Virgine dulcedinem adum-  
brasse existimandū est: & ita Bernardus **Bernard.**  
sermone 3. super Salve Regina: *Ipsa, in-  
quit, est Terra promissionis lacte, & melle  
manans & ab Ecclesia in precatione, cu-  
ius initiū est Salve Regina, eidem dicitur:  
Vita, dulcedo, & spes nostra salue. & ite-  
rum: O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.*

In vita enim spirituali sicut & in phar-  
macis, ac rebus, quæ ad valetudinē con-  
ferunt, quædam vtilia sunt, & amara,  
seu minimè iucunda, cuiusmodi est ie-  
iunium, corporis castigatio; & similia:  
quædam verò vtilia simul, & dulcia,  
nimirum & spe, & re ipsa suauia, & hu-  
iusmodi est erga Virginem deuotio.

Et sanè experientia satis est exploratū  
illud Bernardi apud Bonauenturā in spe- **Bonauen.**  
culo cap. 8. *O magna, inquit, o pia, o mul- **Bernard.**  
tum laudabilis Virgo Maria: tu nec nomi-  
nari potes, quin accēdas, nec cogitari quidē,  
quin recrees aff. etus diligentium te: tu nun-  
quam sine dulcedine diuinitus tibi insita pia  
memoria portas ingrederis. sic Bernardus.*

Quod lōgè ante Bernardū obseruauit  
Damascen<sup>9</sup>, quæ ex sola Virginis memoria **Damasc.**

magnam concipi animo voluptatem testatur, ut videre est oratione, 1. de dormit. Virgin. Sufficit, inquit, *is, qui tui memoriam pie usurpant pretiosissimum memoria tua donum, quippe qua eiusmodi latitiam pariat, quam nullus eripere possit, qua nam enim voluptate, quibus bonis non impletur, qui mentem suam sanctissima memoria promptuariū effecerit? & oratione 2. de dorm. hortatur, omnes ut mentem, memoriamque suam Dei genitricis promptuarium efficiant.*

*Pet. Dam. 17* Quare Petrus Damianus sermone 1. de Natiu. Vi g. ex dulcedine, quæ ex recordatione Virginis percipitur, dulcedinem ex eiusdem presentia inferebat: *Felices, inquit, angelici spiritus, qui B. Virginis habent presentiam: nos interim memoriam abundantia suauitatis eius eruicamus, si sic dulcis est memoria, quid est presentia? Ita Damianus, ut virgini illud, quod*

*Eccl. 49.* Eccl. 49. de Iosia dicitur, congruere videatur: *Memoria, inquit, Iosia in compensatione odoris facta opus pigmentarij in omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & ut musica in conuiuio vini:*

Etenim Virginis recordatio omnium virtutum suauolentiam mittit aduersus vitiorum fetorem utilissimam; mellifluū etiam, ac dulce est de ea cogitare, de ea loqui:

loqui: & quemadmodū musica, seu concentus suauissimus in vini conuiuio presentes vehementer oblectat, sic sermo de Virgine nō solum eum, à quo profertur, sed eos etiam, qui eum audiunt, maxime opere solatur, ac recreat; Imò (vt nōnulli animaduertunt) hymni ipsi, atque Antiphonę Virginis singularem in mentibus, auribusq; fidelium suauitatem instillant, ac voluptatem efficiunt:

Ideo Bernardus sermone *Signum ma Bernard.*  
*gnum*, agens de Virginis laudibus ex consideratione eorū, quę Deus Virgini concessit, non tantū pios erga Virginem affectus, sed & consolationē excitari docet: *Ex quibus, inquit, nos si ea fideliter intuemur sine dubio admirationem cōcipimus, sed uenerationem, sed deuotionem, sed consolationem: cetera quę restant adhuc imitationem requirunt.* hęc Bernardus.

Denique in huius rei confirmationē *Casarius*  
 afferam illud, quod *Angelica*  
*saluatio-*  
 Casarius libr. 7. miracul. cap. 50. de corporea etiam, & sensibili, quę ex Virgine beatissima proficiscitur dulcedine commemorat; scribit enim Colonię fuisse quendam inclusum *nem pronuncian-*  
 nomine Marfilium propè templū S. *res aliqui*  
 uerini, cui matrona quędam affirma *sibilioris*  
 bat se Dōminę nostrę nomen absque *dulcedine*  
 mira quadam dulcedine pronunciare nō *recreabatur.*

38 *Rationes quare Deipara*  
posse, cuius causam rogata, respondit se  
in Deiparæ honorem quinquaginta sa-  
lutationes angelicas cum totidem venijs  
quotidie dicere solitam esse, ex quo tan-  
tam dulcedinem se consecutam, vt om-  
nis oris eius saliuæ, orationis tempore in  
mel videretur conuersa: quod audiens  
Marsilius huius Matronæ exemplo vix  
sex hebdomadarū spatio, eundem salu-  
tationū angelicarū numerū cum iisdem  
venijs recitauit: cum tantam in ore, &  
guttore, dum eam dulcissimā saluatio-  
nem proferet, dulcedinē sentire cepit, vt  
mellis suauitatem longè transcenderet:  
quam eandem dulcedinē quidam ex or-  
dine Cisterciensi illius exemplum imi-  
tatus obtinuit; quæ omnia ab eodem  
incluso se accepisse testatur Cæsarius.

VI.

**DEIPARÆ DEVOTIO SIGNVM**  
*est predestinationis.*

18 **S**exto quamquam sine speciali reue-  
lacione nemo, vt habet *sacrum Con-*  
*Cœc. Trid. ciliū Tridentinum s. s. 6. cap. 12.* scire  
potest, quos Deus sibi elegerit; multa  
tamen à Doctoribus diuinæ prædestina-  
tionis signa enumerantur: & quidem  
inter præcipua collocatur. *Intima erga*  
*Virginem*